



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||**

**Lensaeus, Johannes**

**Antverpiae, 1590**

Capvt XI. Pleniorem multo fore libertatem in vita futura, quàm fuerit primorum hominum ante lapsum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

profus oratio, propterea prolixius commemoranda  
& inserenda verba putauimus.

## CAPVT XI.

*Pleniorem multo fore libertatem in vita futura, quam  
fuerit primorum hominum ante lapsum.*

**Q**UANTO igitur nunc Spiritus sancti potente  
iore gratia fideles indigeant, qua fiat etiam ut  
velint, & tantum velint tantoque ardore diligant, ut  
carnis voluntatem contraria concupiscentem, volun-  
tate spiritus vincant: tamen in illo primo felicitatis  
statu, lætior gratia fuit, plenam & integram à peccato  
omniq; alio genere malorum afferens homini liber-  
tatem. Tamen autem ita tum plena libertas fuit, ut  
nulla hominis pars premeretur seruitute: erat tamen  
homini, si perstisset, paratum quo illa mirificè auge-  
retur. Quid enim liberius fuisset libero arbitrio, quan-  
do id iam omnino non posset seruire peccato? Quæ li-  
bertas futura erat homini, sicut facta est angelo, mer-  
ces meriti sui: sed eo per inobedientiam sic perditio, ut  
ad promerendi recuperandam facultatem, ope libera-  
toris egeremus: sicut per Christum ad eum hinc liberta-  
tis gradum adducimur, ut legi Dei vel mente seruiam-  
us; ita ad illam perfectionem libertatis, eiusdem be-  
neficio sumus euehendi, in qua peccare omnino non  
queamus: quando videlicet animus tanta satiabitur  
visione, & tanta inflammabitur charitate superioris  
boni, ut ad seipsum sibi placendo deficere ab illius de-  
lectatione non possit: quando videbit suum mum & in-  
commutabile bonum, in cuius comparatione se sper-  
nat, sibi que illius charitate vilescat; tantoque eius spi-  
ritu implebitur, ut id sibi non ratione sola, sed æterno  
quoque amore præponat. Neque verò tunc idcirco li-  
berum non habebit arbitrium, quòd eum amplius de-  
lectare peccata non poterunt. Quippe cum vitium sit  
arbitrij humani, cum delectatione peccare: tanto erit  
libe-

liberius, quanto magis habebit indeclinabilem in non peccandi delectatione voluntatem. sed hoc erit de Dei munere, non de solius vigore naturæ. Aliud enim est esse Deum, aliud participem Dei. Ille natura peccare non potest; particeps verò Dei, ab illo accipit vt peccare non possit. Seruandi autem gradus erant diuini muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo non peccare posset homo: nouissimum, quo peccare non posset. Illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium. sed quia peccauit ista natura cum potuit non peccare, largiore gratia liberatur; vt ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non possit; quemadmodum verissimè docuit Augustinus cap. 30. lib. 22. de ciuitate Dei. Sicut igitur prima immortalitas fuit, posse non mori; & nouissima erit multo maior, non posse mori: ita prima hominis libertas erat, posse non peccare; nouissima verò erit multo maior, non posse peccare. Proinde ex iis quæ dicta sunt, pro triplici iustitiæ statu, triplex potest à peccato libertas constitui: vt iustorum quidem post lapsum, durante vitæ huius cursu, vera sit per Christum liberatorem donata libertas, sed non plena atque integra; Ante lapsum verò, simul vera integraque fuerit, sed non consummata, nõdumq. securæ & æterna firmitate stabilis: post hanc denique vitam in regno illo beato, & vera & integra & consummata, cui nihil addi possit; ideoque stabilis securaque futura sit. vbi videlicet tanquam præmium perseuerantiæ sancti accipient, vt magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis, cadere vltius omnino non possint, & hoc de se certissime norint, quam plenitudinem beatitudinis non habebant primi homines. Qui enim nesciebant suam futuram miseriam, beatitudine quidem vera, sed ea minore tamen, sine vlllo fruebantur vicio.